



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 126 ad 150

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1765**

**VD18 15558428-001**

Psalmus CXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53443](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53443)

rum filii sunt omnes electi, qui *sicut sagittæ in manu potentis hostes vulnerârunt, & vicerunt.*

*Ps. 6. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis; non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.*

Concludit per Epiphonema acclamando ipsi Domino Christo. Verè felix est ille Christus, quia perduxit ad finem desiderium suum, quod erat videnti salutem, & gloriam filiorum suorum, pro quibus tam multa fecit, & pertulit: & ideo in ultimo iudicio, quod exercebitur in amplissimâ portâ, h. e. in conventu totius Mundi, *non confundetur, cum loquetur inimicis suis Dæmonibus, & hominibus iniquis, sed eos potius confundet, & convincet injustitiæ in persequendo Ecclesiam.*

## PSALMUS CXXVII.

**T**itulus: *Canticum graduum.*

Argumentum est *exhortatio ad pietatem propositâ ingenti mercede Virtutis.*

*Ps. 1. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.*

Docet

Docet redeuntes à captivitate, quomodo se gerere debeant, si nolint iterum in captivitatem reverti, sed semper frui bonis Jerusalem. Doctrina etiam pertinet ad peregrinantes à patriâ Cælesti, & ad eam redire festinantes. *Omnes* omnino, nullo excepto, tunc solùm verè erunt *beati*, h. e. fortunati, hilares, contenti, si Deum offendere formidaverint, & eo timore muniti, à Dei gratiâ, quæ fons est omnium bonorum, nunquam exciderint. Signum autem sancti hujus timoris est, si in præceptis ejus ambularint.

*V. 2. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.*

Primam felicitatem communem Hebræis, & Christianis ponit, non in magnis divitiis, sed in eo, quòd fruantur iis bonis, quæ justo labore manuum acquisierint. Verùm cùm contingat, justos spoliari bonis, esurire &c., sensus altior erit: nunc *manducabis laborem*, h. e. de gaudio laboris, & tribulationis reficieris; postea verò de fructu ipso laboris, h. e. de præmio bonorum operum saginaberis; & ideo nunc *beatus es in spe*, & postea *bene tibi erit in re*.

¶ 3. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.*

Altera felicitas timentis Deum est, quòd si fortè uxorem ducere voluerit, unam tantùm ducet, eámque non ad libidinem explendam, sed ad filiorum procreationem. Vide *Tob. C. 6. à v. 18. & C. 8. v. 9.* *Uxor tua*, non uxores, non concubinæ tuæ, *sicut vitis abundans*, h. e. multos pariens filios, ut vitis fœcunda multos racemos, *in lateribus domûs tuæ*, h. e. intus manens, ut modesta, & pudica, & curam domûs interioris habens, dum vir de his, quæ foris sunt, cogitat. Altiori sensu promittitur fœcunditas spiritalis: nam viri Sancti non solùm patres, sed etiam matres sunt eorum, quos ad fidem, vel pœnitentiam convertunt: patres sunt prædicando verbo, vel exemplo; & matres gemendo pro eis, & orando.

¶ 4. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.*

Tertia felicitas est educatio filiorum: viri enim timentes Deum, & ambulantes *in viis ejus* non tantùm filios multos, sed etiam bonos, & bene moratos habebunt, quos

quos ab infantiâ docebunt timere Deum,  
 & ambulare in viis ejus. *Filii tui* simi-  
 les erunt arbusculis optimis, quales sunt  
 oleæ, quæ semper virent, & fructum  
 dulcissimum faciunt; non autem similes  
 erunt rubis, aut spinis, aut sterilibus plan-  
 tis. Erunt autem *in circuitu mensæ tuæ*,  
 ut eos omnes simul videns, & cum eis  
 convivens, & convescens, majorem ex  
 illis delectationem capias. Quæ omnia  
 conveniunt etiam in filios spirituales,  
 quos cum pater Verbo Dei pascit, &  
 proficere videt, mirificè gaudet, &  
 cum Apostolo dicit: *Gaudium meum, &  
 coronæ meæ, sic state in Domino charissimi,*  
*Philipp. 4.*

ψ. 5. *Ecce sic benedicetur homo, qui  
 timet Dominum.*

ψ. 6. *Benedicat tibi Dominus ex Sion,  
 & videas bona Jerusalem omnibus diebus  
 vitæ tuæ.*

ψ. 7. *Et videas filios filiorum tuo-  
 rum, pacem super Israel.*

Quanta felicitas timentis Deum est,  
 quòd ita sit à Deo, qui habitat in Sion,  
 benedicendus, ut videat civitatem suam  
 Jerusalem abundantem omnibus bonis,

toto

toto tempore vitæ suæ; & videat in eâ  
 civitate filios filiorum similiter beatos,  
 & felices, & denique pacem, quæ om-  
 nia bona conservat, & custodit, stabilem  
 videat super populum Israel. Altiori  
 sensu describitur major felicitas, nempe  
 æterna: *Ecce, præter omnia, quæ di-*  
*cta sunt, sic benedicetur homo, qui timet*  
*Dominum*, nimirum dicetur illi: *Bene-*  
*dicat tibi Dominus*, non solum de ter-  
 ra, temporalia bona tribuens, sed etiam  
 ex monte sancto suo, ex altissimo habi-  
 taculo suo, tibi que præstet, ut Deum,  
 in quo sunt omnia bona Jerusalem, vi-  
 deas in æternum. Accedet ad gaudium  
 beatorum, quod non solum visuri sint  
 filios, quos ipsi genuerunt per se Deo,  
 sed & qui per filios spirituales, & per  
*filios filiorum*, usque ad consummatio-  
 nem sæculi, ad Deum adducti fuerint;  
 de quibus omnibus, tanquam de pro-  
 priis, & ad se pertinentibus gaudebunt.  
 Demum accedet ad cumulum felicitatis,  
 quod, inimicis omnibus in gehennam  
 detrusis, videbunt pacem firmam, &  
 stabilem, quæ securissimos reddet omnes  
 habitatores Jerusalem usque in æternum.

PSAL-